



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

Quando pulchrum aliquid intuemur. Exercitium 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



## MANVALE.

illius Hierusalem, ciuitatis pacificæ, & nobilissimæ, cuius incolæ omnes sunt filij Dei, in cuius vicis & plateis, iugiter resonant voces vnanimi consensu laudantium & concinentium *Alleluia, Alleluia.*

### *Oblatio.*

**O**fferemus nos ad omnem contēptum, quem nobis irrogauerint homines æquanimiter sustinēdū ac tolerādum, pro amore Domini & Redēptoris nostri Iesu Christi, qui pro nobis factus est, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

*Quando pulchrum aliquid in-  
tuemur.*

### Exercitium VI.

*Cant. 5. Ecce tu pulcher es dilecte mi.*

*Psal. 49. Pulchritudo agri mecum est.*

*Prou. 25. Fallax gratia, & vana est pulchritudo, timens dominum ipse laudabitur.*

*Psalm. 25. Domine dilexi decorem domus tue.*

### *Consideratio.*

**C**onsiderabimus Deum esse fontem totius pulchritudinis, è quo scatu-



EXERCITIO. SPIRIT.

scaturit omne bonum, & immensum pelagus bonitatis, speciositatis & omnis perfectionis.

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias referemus ei, qui quamvis nullius rei necessitatem pateretur, impertitus est nihilominus esse & pulchritudinem creaturis suis, quas de nihilo per infinitam bonitatem & potentiam suam produxit.

*Confusio.*

**E**Rubescamus: quia gratiam amittendo, animæ decorem perdidimus illa enim ita exornat & venustat animam, quam possidet, ut eam in pulchritudine Angelicis spiritibus non inferiorem constituat.

*Petitio.*

**P**etemus à Domino, ut nobis interiore animæ decoré, qua peccatō nos spoliavit restituat, eumque in anima nostra incontaminatam conseruet, nec unquam permittat nos specie caducarum harum creaturarum illectos à sua diuina maiestate longius abduci, sed ut potius pro minimo habentes quic-



MANVALE.

quicquid ipse non est, ipse solus, & ea  
quæ ordinantur ad ipsum, cordis no-  
stri dominium possideant.

*Oblatio.*

**O**fferamus Domino nos ipsos, ad  
iufferendam amore illius, æquo &  
libenti animo, omnem subtractionem  
earum rerum quæ oculis nostris ali-  
quam voluptatem adferre possint, vt  
de sola illius diuina Maiestate gaude-  
re, eaque perfrui valeamus.

*Quando deforme aliquid conspi-  
cimus.*

Exercium 7.

*Prover. 11. Abominabile est Domino cor pra-  
uum.*

*Prover. 15. Abominatio est Domino via impij.*

*Psalm. 118. Iniquitatem odio habui & abomi-  
natus sum.*

*Ose. 9. Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ  
dilexerunt.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus. Diuinæ volunta-  
tis esse, vt in hoc mundo pulchris  
deformia iungantur, vt ex collatione  
vtrorumque ad inuicem patefieret dif-  
feren-